



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Tractatus Juridicus Ad Librum III. Decretalium Gregorii IX.  
Clericorum in communi, nec non Prælatorum, ac  
Capitulorum in specie obligationes, & jura complectens**

**Scharz, Oddo**

**Salisburgi, 1738**

§. II. In quibus actibus Prælatus consensum Capituli requirere, & sequi  
teneatur?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63800](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63800)

verum manet, actum expeditum esse cum Consilio, quod monet sapiens *Eccl. 32.* quamvis non secundum Consilium, quod jura non requirunt. *cap. 7. de Arbitr. cap. 1. de Capell. Monach. cap. ult. de Regul. l. 5. §. Papinianus ff. de ministr. Tut.* Econtra, ubi requiritur ad aliquem actum expediendum *Consensus* Capituli, non sufficit, quod Prælati Sententias Capitularium rogatas auscultet, sed quod major pars concluderit, id omnino sequi tenetur, secus actus à solo Prælate gestus invalidus est. *cap. 1. h. t. & ratio hæc esse potest, quod, si actus sine Consilio expeditus, ubi id requirendum est, omni robore firmitatis caret. cap. 4. h. t. quanto magis actus sine consensu expeditus omni robore destituetur.*

2 Sciscitaris, ad quid consilium Capituli, si illud Prælati sequi non tenetur? Respondeo, id frustra haud quaquam fieri, sed utile omnino esse ex eo, quod, auditis Capitularium sen-

tentiis, præcipitantiæ occurratur, si nimirum Prælati secum exploret, an expediat sibi consilium juxta *l. 2. §. ult. ff. Mandati.* & ita, licet non cogi, saltem prudenti Capitularium deliberatione moveri possit ad amplectendum, quod fortè solus minus consultò fecisset. *Facilius enim invenitur, quod à pluribus queritur, ait Innocent. I. in cap. 3. dist. 20. & integrum est judicium quod plurimorum Sententiis confirmatur. c. 5. dist. 64.* aded, ut Justiniano teste in *l. fin. C. de fideicommiss. per ampliores homines perfectissima veritas reveletur, & ideo unius etiam consilium respiciendum non sit arg. cap. 12. dist. 31.* ubi solus Paphnutius in Nicæna Synodo consilio suo, & rationibus à se propositis reliquos PP. omnes à concepta sententia dimovit, & in suas partes traxit, ne scilicet Presbyteris usus uxorum, quas ante Ordinationem duxerant, prohiberetur, ad evitanda scandala, & fornicationis pericula.

## §. II.

*In quibus actibus Prælati consensum Capituli requirere, & sequi teneatur?*

### S U M M A R I A.

3. Pro Regula traditur, quod consensum tantum in casibus à jure expressis adhibere teneatur Prælati. 4. Inter casus expressos est alienatio. 5. Quod quadruplicem patitur limitationem. 6. Item requirere tenetur consensum Capituli in præsentatione, & collatione beneficii. 7. In unione Ecclesiarum. 8. In Contractu Mutui, aut alia conventionem onerosa. 9. Et in omnibus aliis negotiis, in quibus utriusque Prælati, & Capituli interesse vertitur. 10. Ipsum consensum debet præcedere tractatus, consensus debet à collegialiter congregatis requiri, & sufficit, si pars major consentiat.

3 Canonistæ communiter hanc statuunt Regulam, quod Prælati consensus sui Capituli expetere, & sequi non teneatur, nisi in casibus à jure expressis.

sis. Et ita resolvisse sacram Congregationem Cardinalium refert Piafecius *part. 2. cap. 2. num. 8.* apud Van-Espen *3.E.V. part. 1. tit. 8. cap. 4. n. 5.*

4 Inter casus in jure exceptos numeratur I. alienatio rerum Ecclesiasticarum *immobilium*, aut *mobilium pretiosarum*, *cap. 1. b. t. cap. 25. § 52. C. 12. Q. 2.* quia interest Capituli, ne per ejusmodi alienationes status Ecclesiæ deterior reddatur, Panormit. *ad cap. 4. b. t. num. 7.* & nec sufficit nudus Capitularium consensus, nisi & accedat *collaudatio*, & *scriptio*, *cap. 1. § 8. b. t.* quæ tamen nonnisi in alienatione perpetua, & aliis casibus singillatim à jure expressis necessaria est. Nam regulariter in qualibet dispositione sufficit solus consensus, nec requiritur Scriptura, *l. 17. C. de Pactis*, quæ hodie etiam in pluribus locis non servatur, teste Panormit. *ad cit. cap. 1. b. t. num. 4.* Absentium tamen consensus, ad hunc actum non requiritur. Panormit. *cit. l. num. 5.* qui etiam *ad cap. 1. de his, quæ fiunt à major. part. num. 15.* enumerat casus, ad quos expediendos capitulares absentes vocandi sunt.

5 Hæc exceptio sequentes patitur limitationes I. in alienatione ad modicum tempus, ubi Prælati Capituli consensum adhibere non tenetur. *cap. ult. Ne Prælat. vices suas §c. Covarruv. var. resolut. lib. 2. cap. 15. num. 6.* Et ideò fundos ad tempus modicum, aliis excolendos pro pensione elocare potest. II. Casu, quo Capituli consensus expectari non possit, & præsens necessitas alienationem urgeat, ut contingere potest tempore hostilis irruptionis, Prælati validè se solo rem Ecclesiæ alienat, quia, ut ait Venerabi-

lis Beda, relatus in *cap. 4. de R. J. quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum.* Interim, Prælati in defectu Capitularium, alios testes adhibere debet, qui de præsentis necessitate fidem facere possint. *arg. cap. 39. C. 17. Q. 4. Panormit. ad h. t. cap. 1. num. 7.* III. Nec illo casu Capituli consensus requiritur, quo Prælati aliquam rem, v. g. domum alienat, quam non habere, quàm habere, fortè propter expensas in ejus conservationem faciendas, Ecclesiæ utilius esse, notorium est, utiliter enim hoc casu Ecclesiæ negotia gerere Prælati censetur. *arg. cap. 20. C. 12. Q. 2.* Redoanus *de bon. Eccles. non alien. rubr. 33. casu 20.* Quanquam & hoc casu consultari fore, ut Capituli consensum adhibeat, censet Laymaa. *ad cap. 1. b. t. arg. cap. 52. C. 12. Q. 2.* IV. Donatio decimarum à Laico, qui eas ante Concilium Lateranense, ab Ecclesia in feudum accepit, alteri Ecclesiæ, quàm à qua detinet, facta, solo Episcopi consensu confirmatur. *cap. 7. b. t. cap. ult. C. 16. Q. 1.* Ratio est, quia tali casu nil alienatur, possessum ab Ecclesia, sed potius acquiritur Ecclesiæ id, quod Laicus non injustè, sed titulo feudi ab Ecclesia detinuit. Et licet de rigore propriæ Ecclesiæ restituendæ forent, si tamen Laicus monitus ad id induci non possit, melius utique est, quod alia Ecclesia decimas istas possideat, quàm quod cum periculo animæ detineantur. *cap. 19. de Decim.* quia sic saltem utilitati universalis Ecclesiæ consultitur, cujus omnes aliæ membra sunt. *cap. 6. C. 7. Q. 1.*

II. Excipitur *presentatio*, & *collatio* beneficii, supposito, quod illa ad utrumque, Prælatum nempe, & Capitu-

tulum ſpectet. *cap. 6. h. t.* Ita, ut vo-  
cem dimidiam Prælatuſ, dimidiam Ca-  
pitulum habeat, eo effectu, ut vox, ſive  
ſuffragium Prælati ſolius æquivalcat Ca-  
pitulo toti, vel majori illius parti. *arg.*  
*l. 7. ff. de Uſufr. accreſc. § l. 59. §. 2.*  
*ff. de Hæred. inſtit.* Et ſi contingat, ut  
Capitulum à Prælato diſcordet, *colla-*  
*tio*, aut *preſentatio* ab alterutra parte fa-  
cta non teneat, tametiſ etiam aliqui de  
Capitulo Prælati ſuffragio acceſſerint.  
P. Wiefner *h. t. num. 20.* & alii ibidem  
relati.

7 III. Excipitur *unio* Eccleſiarum, ma-  
ximè Parochialium, earumque fru-  
ctuum, ac obventionum, quæ, ſi fiat  
alteri dignitati, vel præbendæ, aut lo-  
co religioſo, putà Monafterio, Capi-  
tuli conſenſuſ intervenire debet. *cap. 8.*  
*§ 9. b. t.* quia talis unio eſt ſpecies alie-  
nationiſ perpetuæ, qua ſucceſſoribus  
Prælatiſ in jure conferendi, quod in-  
ter fructuſ Episcopaleſ numeratur, præ-  
judiciuſ fieret. Eo tamen caſu ne qui-  
dem Capituli conſenſuſ ſufficeret, quo  
*unio* ab Episcopo vel propriæ menſæ, vel  
ipſi Capitulo fieret, eò quòd indecens  
foret, in factò proprio, & ad commo-  
dum ſuum, authoritatem ſibi præſtare,  
ſed tunc accedere deberet authoritaſ  
Papæ, ut cenſuit Rota in *una Beruſina*  
*beneficiũ 4. Junii 1608.* coram Penia,  
niſi (ut cum aliis excipit Barboſ. *de*  
*Canoniciſ, § dignit. cap. 42. num. 11.*)  
unio fiat præbendiſ capitularium di-  
ſtinctè, & ſigillatim conſideratiſ. Ho-  
die poſt Conciliuſ Trid. *ſeſſ. 24. de Re-*  
*form. cap. 13.* Eccleſiaſ Parochialeſ Mo-  
naſteriis quibuſcuſque, aut Abbatiis,  
ſive dignitatibuſ, ſeu præbendiſ Eccle-  
ſiæ Cathedraliſ, vel Collegiatæ, ſive  
aliis beneficiis ſimplicibuſ, aut Hoſpi-

talibuſ, militiſque Episcopus nequi-  
dem cum conſenſu Capituli unire po-  
teſt, niſi unio fiat pro *fundatione*, *do-*  
*tatione*, vel *conſervatione* collegiorum,  
aliorumque priorum locorum, ad fidei  
Catholicæ deſenſionem, & propaga-  
tionem, bonarumque artium cultum.  
Gonzalez *ad reg. 8. Cancell. Gloſſ. 5.*  
*§. 7. num. 47.* Barboſa *ad cit. cap. Trid.*  
*num. 10. § ſeq.*

IV. In contractu *mutui*, aut alia 8  
conventionem oneroſa, qua Prælatuſ Ec-  
cleſiam ſuam onerare intendit. *cap. 1.*  
*de Depoſ. cap. 4. de Fidejuſſ. § cap. 2.*  
*de Solut.* de quo noſ inferiuſ, ubi de  
contractibuſ agemus.

V. Conſenſuſ Capituli regulariter 9  
requiritur in omnibuſ illiſ, quæ com-  
muniter ad Prælatum, & Capitulum  
ſimul ſpectant, vel ubi Capituli parti-  
culariſ intereſſe vertitur, vel ubi Eccle-  
ſiæ, & ſucceſſoribuſ notabile præjudi-  
cium inferri poſſet. *cap. ult. de M. & O.*  
ubi Gonzalez *cap. 6. § ult. h. t. cap. 29.*  
*de R. J. in 6. cap. 11. de Præſcript. l. ſin.*  
*C. de Author. præſtand. Panormitan. in*  
*cap. 4. h. t. num. 7.* Barboſ. *de Canon.*  
*§ dignit. d. cap. 42.* apud quem plureſ  
caſuſ excepti videri poterunt.

Nota I. in hiſ, quæ minoris mo- 10  
menti ſunt, ut eſt alienatio ad tempuſ  
facta, ſufficere conſenſum Capituli *ta-*  
*citum*, hoc eſt, ſi Capitulum ſciat, alie-  
nationem factam eſſe, nec contradicat.  
Panormit. *ad cap. 2. h. t. num. 1.* No-  
ta II. Capituli conſenſuſ debere præ-  
mitti Tractatum, quo Prælatuſ cum Ca-  
pitulo deliberet, num hæc v. g. aliena-  
tio Eccleſiæ neceſſaria, aut utiliſ futu-  
ra ſperetur. *cap. 1. de rebus Eccleſ. alie-*  
*nand. in 6.* Quoad inferioreſ Eccle-  
ſiaſ, quæ *collegiatæ*, aut *conventualeſ*

E c

non

non sunt, & consequenter Capitulum non habent, sufficit intervenire auctoritatem Episcopi. P. Wiestner *h. t. num. 4.* Nota III. Consensum à Capitularibus collegialiter congregatis præstandum esse, nec sufficere, suffragia singulorum seorsim rogare. Ratio est, quod jura requirant consensum Capituli quæ talis. *cap. 2. & 3. h. t. Clem. 1. & 2. de rebus Eccles. alien.* quia id significat vox Capituli *arg. cap. 5. de Probat.* quod Canonici non ut singuli, sed in corpore congregati constituunt, *arg. cap. un. princ. Ne sed. vacant.* P. Verani *ad h. t. §. 1. num. 3.* Nota IV. Consensum

Capituli, quem jura desiderant, non necessariò debere esse unanimum, hoc est, nemine dissentiente, sed sufficere, quem pars major Capituli, habito respectu omnium capitularium præsentium (absentium non habetur ratio) præstitit. Magnif. P. König *ad tit. de his, quæ fiunt à major. part. num. 9.* Excipe nisi, ubi agitur de singulorum capitularium interesse, tunc enim non sufficit majoritas votorum, etiam absoluta, sed singulorum consensus desideratur. *cap. 29. de R. J. in 6.* Magnif. P. Schmier *lib. 3. Tract. 1. part. 1. cap. 4. num. 105. & seqq.*

## §. III.

*In quibus casibus Prælatus Capituli consilium requirere teneatur?*

## S U M M A R I A.

11. Consilium Capituli requirit Prælatus in negotiis minoris momenti, nisi consuetudine contraria huic legi derogatum sit. 12. Quomodo Episcopus in dijudicandis causis capitulariam procedere debeat, ostenditur. 13. Capitulum potest alienationem ratihabitatione superveniente revalidare. 14. Solvitur objectio. 15. Consuetudo est irrationabilis, qua Prælatus deobligatur pro omni casu à petendo Capituli consensu. 16. Prælati regulares conventus sui consensum non in omnibus casibus, in quibus tenetur Episcopus, requirere obligantur. 17. Eundem adhibere tenentur in admissione Novitii ad professionem. 18. Non etiam in receptione Novitii ad probationem. 19. Episcopi Germaniæ, qui simul sunt status imperii, in actibus pertinentibus ad regimen politicum Capituli consensum non requirunt.
- 11 **C**ommuniter apud Canonistas hæc regula obtinuit, quod consilium Capituli in rebus levioris momenti à Prælato requirendum sit, ut in institutionibus, destitutionibus, confirmationibus, correctionibus *cap. 4. & 5. h. t.* In exercitio jurisdictionalium, & administratione temporalium extra casum alienationis, item in statutis conder-
- dis. *d. cap. 5. h. t.* In puniendis Clericis *cap. 23. dist. 86.* ferendis censuris. *cap. 1. de Excess. Prælat.* Cognitione causarum, *cap. 6. C. 15. Q. 7.* nisi consuetudine, vel præscriptione introductum sit, ut Prælatus etiam se solo ejusmodi negotia expediat, quam consuetudinem passim obtinere, testantur Stephanus Gratianus *in Disc. for. cap. 100. n. ult.*